Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Baruch

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Et poſuit thronum eius ſuper thronos regum
qui erant poſt ſe in babilone. et mu-
tauit ueſtimenta carceris eius. Et co-
medebat panem coram eo ſemper
cunctis diebus uite ſue. Et cibaria ei
cibaria perpetua dabantur ei a rege ba-
bylonis. ſtatuta per ſingulos dies
uſque ad diem mortis ſue cunctis
diebus uite ſue. Explicit Ieremias. In-
Liber cipit prologus in Baruch.
iſte qui baruch nomine
prenotatur in hebreo
canone non habetur. ſed tantum in uulgata
editione. ſimiliter et epiſtola ieremie.
Propter notitiam autem legentium hec
ſcripta ſunt. quia multa de chriſto nouiſ-
ſimiſque temporibus indicant. Incipit
Baruch.
Et hec uerba
libri que
ſcripſit ba-
ruch filius
nerie filii
maaſie
filii ſede-
chie filii ſedei filii helchie in baby-
lonia in anno quinto in ſeptima die men-
ſis. in tempore quo ceperunt chaldei ie-
ruſalem. et ſuccenderunt eam igni. Et
legit baruch uerba libri huius ad au-
res iechonie filii ioachim regis iuda.
et ad aures uniuerſi populi uenientis ad
librum. et ad aures potentium filiorum re-
gum. et ad aures presbyterorum. et ad aures
populi a minimo uſque ad maximum
eorum omnium habitantium in babilonia
ad flumen ſudi. Qui audientes plora-
bant et ieiunabant. et orabant in conſpectu
domini. Et collegerunt pecuniam ſecundum quod
potuit uniuſcuiuſque manus et miſerunt in
ieruſalem ad ioachim filium helchie filii ſa-
lom ſacerdotem. et ad ſacerdotes. et ad omnem
populum qui inuenti ſunt cum eo in ieruſalem. cum
acciperent uaſa templi domini que ablata
fuerant de templo. reuocare in terram
iuda. decima die menſis ſyban. uaſa
argentea que fecit ſedechias filius ioſie
rex iuda. poſtquam cepiſſet nabuchodo-
noſor rex babylonis iechoniam et principes
eius. et uinctos et potentes et populum ter-
re ab ieruſalem. et duxit eos uinctos in babylo-
nem. Et dixerunt. Ecce miſimus ad uos
pecuniam de quibus emite holocau-
tomata et thus. et facite manaa. et offer-
te ad aram domini dei noſtri. et orate pro uita
nabuchodonoſor regis babylonis. et pro ui-
ta balthaſar filii eius. ut ſint dies
eorum ſicut dies celi ſuper terram. et det dominus
nobis uirtutem. et illuminet oculos noſtros.
ut uiuamus ſub umbra nabuchodonoſor regis
babylonis. et ſub umbra balthaſar filii
eius. et ſeruiamus eis multis diebus.
et inueniamus gratiam in conſpectu eorum. Et pro
nobis ipſis orate ad dominum deum noſtrum. quia
peccauimus domino deo noſtro. et non eſt auerſus fu-
ror eius a nobis uſque in hunc diem. Et le-
gite librum iſtum quem miſimus ad uos
recitari in templo domini in die ſollempni
et die oportuno. Et dicetis. Domino deo
noſtro iuſtitia. Nobis autem confuſio faciei
noſtre ſicut dies hec omni iuda. et habitato-
ribus in ieruſalem. regibus noſtris et principibus
noſtris. ſacerdotibus noſtris. et prophetis noſtris.
et patribus noſtris. Peccauimus ante dominum deum noſtrum
et non credidimus diffidentes in eum. et non fui-
mus ſubiectibiles illi. et non obaudiuimus
uoci domini dei noſtri ut ambularemus in manda-
tis eius. que dedit nobis a die qua eduxit

patres nostros de terra egypti usque in hunc diem. Eramus incredibiles ad dominum deum nostrum et dissipati recessimus ne audiremus vocem ipsius. Et adheserunt nobis mala multa et maledictiones que constituit dominus moysi servo suo qui eduxit patres nostros de terra egypti dare nobis terram fluentem lac et mel sicut hodierna die. Et non audivimus vocem domini dei nostri secundum verba prophetarum quos misit ad nos et ad iudices nostros. Et abivimus unusquisque in sensu cordis nostri maligni operari diis alienis facientes mala ante oculos domini dei nostri.

II

Propter quod statuit dominus deus noster verbum suum quod locutus est ad nos et ad iudices nostros qui iudicaverunt israel et ad reges nostros et ad principes nostros et ad omnem israel et iuda ut adduceret super nos mala magna que non sunt facta sub celo quemadmodum facta sunt in iherusalem secundum que scripta sunt in lege moysi ut manducaret homo carnes filii sui et carnes filie sue. Et dedit eos sub manu regum omnium qui sunt in circuitu nostro in improperium et in desolationem in omnibus populis quibus nos dispersit dominus. Et facti sumus subtus et non supra quia peccavimus domino deo nostro non obaudiendo voci ipsius. Domino deo nostro iustitia nobis autem et patribus nostris confusio faciei sicut dies hec. Quia locutus est dominus super nos omnia mala hec que venerunt super nos et non sumus deprecati faciem domini dei nostri ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. Et vigilavit dominus in malis et adduxit ea super nos quia iustus est dominus in omnibus operibus suis que mandavit nobis et non audivimus vocem ipsius ut iremus in preceptis domini que dedit ante faciem nostram. Et nunc domine deus israel qui eduxisti plebem tuam de terra egypti in manu valida et in signis et prodigiis et in virtute tua magna et in brachio excelso et fecisti tibi nomen sicut est dies iste peccavimus impie egimus inique gessimus domine deus noster in omnibus iustitiis tuis. Avertatur ira tua a nobis quia derelicti sumus pauci inter gentes ubi dispersisti nos. Exaudi domine preces nostras et orationes nostras et educ nos propter te et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt ut sciat omnis terra quia tu es dominus deus noster et quia nomen tuum invocatum est super israel et super genus ipsius. Respice domine de domo sancta tua in nos et inclina aurem tuam et exaudi. Aperi oculos tuos et vide quia non mortui qui sunt in inferno quorum spiritus acceptus est a visceribus suis dabunt honorem et iustificationem domino sed anima que tristis est super magnitudine malitie sue et incedit curva et infirma et oculi deficientes et anima esuriens dat tibi gloriam et iustitiam domino. Quia non secundum iustitias patrum nostrorum fundimus preces et petimus misericordiam ante conspectum tuum domine deus noster sed quia misisti iram tuam et furorem tuum super nos sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum dicens. Sic dicit dominus. Inclinate humerum vestrum et cervicem vestram et opera facite regi babylonis et sedebitis in terra quam dedi patribus vestris. Quod si non feceritis et non audieritis vocem domini dei vestri operari regi babylonis defectionem vestram faciam de civitate iuda et a foris iherusalem et auferam a vobis vocem iocunditatis et vocem gaudii vocem sponsi et vocem sponse et erit omnis terra sine vestigio ab habitantibus eam. Et non audierunt vocem tuam ut operarentur regi babylonis

et statuisti verba tua quae locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo et ecce sunt proiecta in calore solis et in gelu noctis. Et mortui sunt in doloribus pessimis in fame et in gladio et in emissione. Et posuisti templum in quo invocatum est nomen tuum in ipso sicut haec dies propter iniquitatem domus Israel et domus Iuda. Et fecisti nobis domine deus noster secundum omnem bonitatem tuam et secundum omnem miserationem tuam illam magnam sicut locutus es in manu Moysi pueri tui in die qua praecepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel dicens: Si non audieritis vocem meam multitudo haec magna convertetur in minimam in gentes quia ego dispergam illos. Quia scio quod me non audiet populus. Populus est enim dura cervice. Et convertetur ad cor suum in terra captivitatis suae et scient quia ego sum dominus deus eorum. Et dabo eis cor et intelligent et aures et audient. Et laudabunt me in terra captivitatis suae et memores erunt nominis mei. Et avertent se a dorso suo duro et a malignitatibus suis quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccaverunt in me. Et revocabo illos in terram quam iuravi patribus illorum Abraham Ysaac et Iacob et dominabuntur eius. Et multiplicabo eos et non minorabuntur. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum ut sim illis in deum et ipsi erunt mihi in populum. Et non movebo amplius populum meum filios Israel a terra quam dedi illis.

III

Et nunc domine deus Israel anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te. Audi domine et miserere quia tu es deus misericors et miserere nostri quia peccavimus ante te qui sedes in aeternum et nos peribimus in aevum. Domine omnipotens deus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel et filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te et non audierunt vocem domini dei sui et adglutinata sunt nobis mala. Noli meminisse iniquitates patrum nostrorum sed memento manus tuae et nominis tui in tempore isto quia tu es dominus deus noster et laudabimus te domine. Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris et ut invocemus nomen tuum et laudemus te in captivitate nostra quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum qui peccaverunt in te. Et ecce nos hodie in captivitate nostra sumus quo nos dispersisti in opprobrium et in maledictum et in peccatum secundum omnes iniquitates patrum nostrorum qui discesserunt a te domine deus noster. Audi Israel mandata vitae auribus percipe ut scias prudentiam. Quid est Israel quod in terra inimicorum es inveterasti in terra aliena coinquinatus es cum mortuis deputatus es cum descendentibus in infernum. Dereliquisti fontem sapientiae. Nam si in via dei ambulasses habitasses utique in pace sempiterna. Disce ubi sit sapientia ubi sit prudentia ubi sit virtus ubi sit intellectus ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae et victus ubi sit lumen oculorum et pax. Quis invenit locum eius et quis intravit in thesauros eius. Ubi sunt principes gentium et qui dominantur super bestias quae sunt super terram. Qui in avibus caeli ludunt qui argentum thesaurizant et aurum in quo confidunt homines et non est finis adquisitionis eorum. Qui argentum fabricant et solliciti sunt nec est inventio operum illorum. Exterminati sunt et ad inferos descenderunt et alii in loco eorum surrexerunt. Iuvenes viderunt lumen et habitaverunt super terram viam autem disciplinae ignoraverunt neque intellexerunt semitas eius neque filii eorum susce-

pmit eam. A facie ipsorum longe facta est.
Non est audita in terra chanaan: neque
visa est in theman. Filii quoque agar qui
exquirunt prudentiam que de terra est: ne
gotiatores terre et theman: et fabulatores
et exquisitores prudentie et intelligentie:
viam autem sapientie nescierunt: neque comme
morati sunt semitas eius. O israel quam magna
est domus dei: et ingens locus possessionis
eius. Magnus est et non habet finem: excelsus
et immensus. Ibi fuerunt gigantes no
minati: illi qui ab initio statura ma
gna fuerunt scientes bellum. Non hos
elegit dominus: neque viam discipline inve
nerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt
sapientiam: interierunt propter insipientiam suam.
Quis ascendit in celum et accepit eam
et adduxit eam de nubibus? Quis transfre
tavit mare et invenit eam: et attulit
illam super aurum electum? Non est qui possit scire
vias eius: neque qui exquirat semitas
eius. Sed qui scit universa novit eam:
et invenit eam prudentia sua. Qui preparavit
terram in eterno tempore: et replevit eam pecudi
bus et quadrupedibus. Qui emittit lumen
et vadit: et vocavit illud et obedit illi in
tremore. Stelle autem lumen dederunt in
custodiis suis: et letate sunt. Vocate sunt
et dixerunt: Adsumus. Et luxerunt ei cum iocun
ditate qui fecit illas. III
Hic est deus noster: et non estimabitur alius
adversum eum. Hic adinvenit omnem
viam discipline: et tradidit illam
iacob puero suo: et israel dilecto suo. Post
hec in terris visus est: et cum hominibus conversatus
est. Hic liber mandatorum dei: et lex que est
in eternum. Omnes qui tenent eam: ad
vitam. Qui autem dereliquerunt eam: ad mor
tem. Convertere iacob: et apprehende eam:

ambula per viam ad splendorem eius contra
lumen eius. Ne tradas alteri gloriam tuam:
et dignitatem tuam genti aliene. Beati su
mus israel: quia que deo placent nobis
manifesta sunt. Animequior esto populus
dei memorabilis israel. Venundati estis
gentibus non in perditionem: sed propter quod in ira
ad iracundiam provocastis deum: traditi e
stis adversariis. Exacerbastis enim eum qui
fecit vos deum eternum: immolantes de
moniis et non deo. Obliti autem estis deum
qui nutrivit vos: et contristastis nutricem
vestram ierusalem. Vidit enim iracundiam a
deo venientem vobis: et dixit. Audite con
fines syon. Adduxit enim michi deus luctum
magnum. Vidi enim captivitatem populi mei
filiorum meorum et filiarum quam superduxit illis
eternus. Nutrivi illos cum iocunditate:
dimisi autem illos cum fletu et luctu. Ne
mo gaudeat super me viduam et deso
latam. A multis derelicta sum propter pecca
ta filiorum meorum: quia declinaverunt a lege
dei. Iustitias autem ipsius nescierunt:
nec ambulaverunt per vias mandatorum
dei: neque per semitas veritatis eius cum
iustitia ingressi sunt. Veniant confines
syon: et memorentur captivitatem filiorum
meorum et filiarum mearum quam superduxit
illis eternus. Adduxit enim super illos gentem
de longinquo: gentem improbam et alterius
lingue: qui non sunt reveriti senem neque
puerorum misertis sunt. Et abduxerunt di
lectos vidue: et a filiis unicam deso
laverunt. Ego autem quid possum adiuva
re vos? Qui enim adduxit super vos mala:
ipse vos eripiet de manibus inimico
rum. Ambulate filii ambulate: ego
autem derelicta sum sola. Exui me stola
pacis: indui me sacco obsecrationis.

⁊ clamabo ad altissimum in diebus meis. Animequiores estote filii clamate ad dominum ⁊ eripiet vos de manu principum inimicorum. Ego enim speravi in eternum salutem vestram ⁊ venit michi gaudium a sancto super misericordia que veniet vobis ab eterno salutari nostro. Emisit enim vos cum luctu ⁊ ploratu: reducet autem vos michi deus cum gaudio ⁊ iocunditate in sempiternum. Sicut enim viderunt vicine syon captivitatem vestram: sic videbunt ⁊ in celeritate salutem vestram a deo que superveniet vobis cum honore magno ⁊ splendore eterno. Filii patienter sustinete iram que supervenit vobis. Persecutus est enim te inimicus tuus: sed cito videbis perditionem ipsius ⁊ super cervices ipsius ascendes. Delicati mei ambulaverunt vias asperas. ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis. Animequiores estote filii ⁊ proclamate ad dominum. Erit enim memoria ab eo qui ducit vos. Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum. Qui enim induxit vobis mala: ipse enim rursum adducet vobis sempiternam iocunditatem cum salute vestra. Animequior esto ierusalem: exhortatur enim te qui te nominavit. Nocentes peribunt qui te vexaverunt: ⁊ qui gratulati sunt in tua ruina punientur. Civitates quibus servierunt filii tui punientur: ⁊ que accepit filios tuos punietur. Sicut enim gavisa est in ruina tua ⁊ letata est in tuo casu: sic contristabitur in sua desolatione ⁊ amputabitur exultatio multitudinis eius et gaudium eius erit in luctum. Ignis enim superveniet ei ab eterno in longinquis diebus ⁊ habitabitur a demoniis in multitudine temporis.

+ gaudimonium

Circumspice ierusalem ad V orientem ⁊ vide iocunditatem a deo venientem. Ecce enim veniunt filii tui quos dimisisti dispersos: veniunt collecti ab oriente usque ad occidentem in verbo sancti gaudentes in honore dei. Exuere ierusalem stola luctus ⁊ vexationis tue: ⁊ indue te decorem ⁊ honorem eius que a deo est tibi in sempiterna gloria. Circumdabit te diploide deus iustitie ⁊ imponet mitram capiti tuo honoris eterni. Deus enim ostendet splendorem suum in te qui sub celo est. Nominabitur enim tibi nomen tuum a deo sempiternum: pax iustitie ⁊ honor pietatis. Exurge ierusalem ⁊ sta in excelso ⁊ circumspice ad orientem ⁊ vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem in verbo sancti gaudentes dei memoria. Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos dominus ad te portatos in honore dei sicut filios regni. Constituit enim deus humiliare omnem montem excelsum ⁊ rupes perhennes ⁊ valles replere in equalitatem terre: ut ambulet israel diligenter in honorem dei. Obumbraverunt autem et silve ⁊ omne lignum suavitatis israel mandato dei. Adducet enim deus israel cum iocunditate in lumine maiestatis sue cum misericordia ⁊ iustitia que est ab ipso.

Exemplum epistole quam misit ieremias ad abductos captivos in babyloniam a rege babyloniorum ut nuntiaret illis secundum quod preceptum est illi a domino.

Propter peccata que peccastis VI ante deum adducemini in babylonem captivi a nabuchodonosor rege babylonie. Ingressi itaque in babylonem eritis illic annis pluribus ⁊ tempore longo usque ad

generationes · vii · Post hec autem educam
vos inde cum pace · Nunc autem videbitis
in babylonia deos aureos · et argenteos ·
et lapideos · et ligneos · in humeris por
tari · ostentantes metum gentibus · Vi
dete ergo ne et vos similes efficiamini
factis alienis · et metuatis · et metus
vos capiat in ipsis · Visa itaque turba
de retro et ab ante · adorantes dicite
in cordibus vestris · Te oportet adorari domine ·
Angelus autem meus vobiscum est · Ipse autem ex
quiram animas vestras · Nam lignum eorum
polita a fabro ipsa etiam inaurata et in
argentata falsa sunt · et non possunt loqui ·
Et sicut virgini amanti ornamenta · ita
accepto auro fabricata sunt · Coronas
certe habent aureas super capita sua dii
illorum · unde subtrahunt sacerdotes ab
eis aurum et argentum · et erogant illud in
semetipsis · Dant autem et ex ipso prostitutis
et meretrices ornant · et iterum cum receperint
illud a meretricibus ornant deos suos · Hii
autem non liberantur ab erugine · et tinea ·
Opertis autem illis veste purpurea · exter
gent faciem ipsorum propter pulverem domus
qui est plurimus inter eos · Sceptrum autem
habet ut homo · sicut iudex regionis ·
qui in se peccantem non interficit · Habet etiam
in manu sua gladium et securim · se autem
de bello et a latronibus non liberat · Unde
vobis notum sit quia non sunt dii · Ne ergo
timueritis eos · Sicut enim vas hominis con
fractum inutile efficitur · tales sunt et dii il
lorum · Constitutis illis in domo · oculi eorum
pleni sunt pulvere a pedibus introeunti
um · Et sicut alicui qui regem offendit
circumsepte sunt ianue · aut sicut ad
sepulchrum adducto mortuo · ita tu
tant sacerdotes ostia clausuris et se

ris · ne a latronibus expolientur · Lucer
nas accendunt illis · et quidem multas
ex quibus nullam videre possunt · Sunt autem
sicut trabes in domo · Corda vero eorum
dicunt elingere serpentes qui de terra
sunt · dum comedunt eos et vestimentum
eorum · et non sentiunt · nigre sunt facies eorum
a fumo qui in domo fit · Super corpus eorum
et super caput volant noctue · et hirundi
nes · et aves et catte similiter · Unde scia
tis quia non sunt dii · Ne ergo timueritis
eos · Aurum etiam quod habent ad speciem est · Et
nisi aliquis exterserit eruginem non ful
gebunt · neque enim dum conflarentur sen
tiebant · Ex omni pretio empta sunt
in quibus spiritus non est in ipsis · Sine pedibus
in humeris portantur ostentantes igno
bilitatem suam hominibus · Confundantur
ergo qui colunt ea · Propterea si ceciderint
in terram a semetipsis non consurgent · ne
si quis illud statuerit rectum per semetipsum
ipsum stabit · sed sicut mortuis munera
illis apponentur · Hostias illorum sacerdotes
ipsorum vendunt et abutuntur · Similiter
et mulieres eorum decerpentes · neque in
firmo · neque mendicanti aliquid imperti
unt · De sacrificiis eorum fete et menstru
ate contingunt · Scientes itaque ex his
quia non sunt dii · ne timeatis eos · Unde
enim vocantur dii · Quia mulieres ap
ponunt diis argenteis et aureis et lig
neis · et in domibus eorum sacerdotes sede
bunt habentes tunicas scissas · capita et
barbam rasa · quorum capita nuda
sunt · Rugiunt autem clamantes contra deos su
os · sicut in cena mortui · Vestimenta
eorum auferunt sacerdotes · et vestiunt
uxores suas et filios suos · Neque si
mali patiuntur ab aliquo · neque si

bonum poterunt retribuere. Neque regem co-
stituere possunt, neque auferre. Similiter
neque divitias dare possunt, neque ma-
lum retribuere. Si quis illis votum vo-
verit et non reddiderit, non hoc requirunt. Ho-
minem a morte non liberant, neque infirmum
a potentiore eripient. Hominem cecum
ad visum non restituent. De necessitate
hominem non liberabunt. Vidue non misere-
buntur, neque orphanis benefacient. La-
pidibus de monte similes sunt dii illorum,
lignei et lapidei et argentei et aurei.
Qui autem colunt illos confundentur. Quo-
modo ergo estimandum est aut dicendum
illos esse deos? Adhuc enim ipsis Chalde-
is non honorantibus ea. Qui cum audie-
rint mutum non posse loqui, offerunt illud
ad Bel postulantes ab eo loqui, quasi pos-
sint sentire qui non habent motum. Et ipsi
cum intellexerint relinquent ea: sensum enim
non habent ipsi et dii illorum. Mulieres autem
circumdate funibus in viis sedent suc-
cendentes ossa olivarum. Cum autem aliqua
ex ipsis abstracta ab aliquo transeun-
te dormierit cum eo, proxime sue ex-
probrat quod ea non sit digna habita sicut
ipsa, neque funis eius disruptus sit.
Omnia autem que illis fiunt falsa sunt. Quomodo
ergo estimandum aut dicendum est
illos esse deos? A fabris autem et aurifici-
bus facta sunt. Nichil aliud erunt nisi que
volunt esse sacerdotes. Artifices ipsi
etiam qui ea faciunt non sunt multi temporis.
Numquid ergo possunt ea que ab ipsis fa-
bricata sunt esse dii? Reliquerunt autem fal-
sa et obprobrium postea futuris. Nam cum
supervenerit illis prelium et mala, cogi-
tant sacerdotes ubi se abscondant cum
illis. Quomodo ergo sentiri debeat quia dii sunt,
qui nec de bello se liberant, neque de malis se
eripiunt? Nam cum sint lignea et inau-
rata et inargentata, sciatur postea quia fal-
sa sunt gentibus universis et regibus, que mani-
festa sunt quia non sunt dii, sed opera manuum ho-
minum, et nullum opus dei in illis. Regem regi-
oni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt. nz
Iudicium quoque non discernent, neque regiones
liberabunt ab iniuria, quia nichil possunt,
sicut cornicule inter medium celi et terre. Etenim
cum ceciderit ignis in domum deorum ligne-
orum, aureorum et argenteorum, sacerdotes quidem
de ipsorum fugient et liberabuntur, ipsi vero
sicut trabes in medio comburentur. Regi autem
et bello non resistent. Quomodo ergo estima-
dum est aut dicendum est quia dii sunt? Non a
furibus nec a latronibus se liberabunt dii
lignei et lapidei et inaurati et inargenta-
ti, quibus iniqui fortiores sunt. Aurum et ar-
gentum et vestimentum quo operti sunt aufe-
rent illis et abibunt, nec sibi auxilium
ferent. Itaque melius est esse regem ostenta-
tem virtutem suam, aut vas in domo uti-
le in quo gloriabitur qui possidet illud, vel
hostium in domo quod custodit que in ipsa sunt,
quam falsi dii. Sol quidem et luna et sydera
cum sint splendida et emissa ad utilita-
tes obaudiunt. Similiter et fulgur cum appa-
ruerit perspicuum est. Idipsum autem et spiritus in omni
regione spirat. Et nubes quibus cum im-
peratum fuerit a deo perambulare universum
orbem perficiunt quod imperatum est eis. Ignis
etiam missus desuper ut consumat omnes mon-
tes et silvas facit quod preceptum est eis.
Hec autem neque speciebus neque virtutibus u-
ni eorum similia sunt. Unde neque estimandum est neque
dicendum esse illos deos, quando non possunt neque
iudicium iudicare neque facere hominibus. Scien-
tes itaque quia non sunt dii, ne timueritis eos.

Neque enim regibus maledicet, neque benedicent. Signa etiam in celo gentibus non
ostendunt, neque ut sol lucebunt, nec illu-
minabunt ut luna. Bestie meliores
sunt illis, que possunt fugere sub tectum ac
prodesse sibi. Nullo itaque modo nobis est ma-
nifestum quod sunt dii: propter quod ne timea-
tis eos. Nam sicut in cucumerario formi-
do nichil custodit, ita sunt dii illorum lig-
nei et argentei et aurati. Eodem modo
in orto spina alba, supra quam omnis avis
sedet. Similiter et mortuo proiecto in tene-
bris similes sunt dii illorum lignei et
inaurati et inargentati. A purpura et mar-
more que super illud tenent, scietis
quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo co-
meduntur, et erit obprobrium in regione.
Melior est homo iustus qui non habet simula-
chra: nam erit longe ab obprobriis.

Explicit liber Baruch. Incipiunt
Treni.

Quomodo se-
det sola ci-
vitas plena
populo: facta est
quasi vi-
dua domina
gentium:
princeps provinciarum facta est sub tributo.
Beth. Plorans ploravit in nocte, et la-
crime eius in maxillis eius. Non est qui con-
soletur eam ex omnibus caris eius. Omnes
amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei
inimici. Gimel. Migravit iuda propter
afflictionem et multitudinem servitu-
tis: habitavit inter gentes, nec invenit
requiem. Omnes persecutores eius appre-
henderunt eam inter angustias. Deleth.
Vie syon lugent, eo quod non sint qui ve-
niant ad sollempnitatem. Omnes por-
te eius destructe: sacerdotes eius gemen-
tes: virgines eius squalide, et ipsa op-
pressa amaritudine. He. Facti sunt
hostes eius in capite, inimici eius lo-
cupletati sunt: quia dominus locutus est
super eam propter multitudinem iniquitatum
eius. Parvuli eius ducti sunt in capti-
vitatem ante faciem tribulantis. Vau.
Et egressus est a filia syon omnis decor eius.
Facti sunt principes eius velut arietes
non invenientes pascua, et abierunt
absque fortitudine ante faciem subsequen-
tis. Zai. Et recordata est iherusalem
dierum afflictionis sue et prevaricationis
omnium desiderabilium suorum que habuerat
a diebus antiquis, cum caderet populus
eius in manu hostili, et non esset auxi-
liator. Viderunt eam hostes, et deri-
serunt sabbata eius. Heth. Peccatum
peccavit iherusalem + instabilis facta est. propterea +
Omnes qui glorificabant eam spreve-
runt illam, quia viderunt ignominiam
eius. Ipsa autem gemens, et conversa retror-
sum. Teth. Sordes eius in pedibus
eius, nec recordata est finis sui. De-
posita est vehementer, non habens consolatorem.
Vide domine afflictionem meam, quoniam ere-
ctus est inimicus. Ioth. Manum suam
misit hostis ad omnia desiderabi-
lia eius: quia vidit gentes ingressas
sanctuarium suum, de quibus preceperas
ne intrarent ecclesiam tuam. Coph.
Omnis populus eius gemens et querens
panem: dederunt quecumque preciosa pro cibo
ad refocillandam animam. Vide domine
et considera, quoniam facta sum vilis. Lamech.
O vos omnes qui transitis per viam, at-
tendite et videte si est dolor sicut dolor

[illegible] baruch. Incipit tren[illegible]